

**Dissertatio inauguralis medica de irae energia ad morbos producendum ... /  
[Johann Martin Hoeppius].**

**Contributors**

Hoeppius, Johann Martin.  
Alberti, Michael, 1682-1757.  
Universität Halle-Wittenberg.

**Publication/Creation**

Halae Magdeburgicae : Typis Christiani Henckelii, [1720]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/dbzdahtz>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DEIRAE ENERGIA  
AD MORBOS PRO-  
DUCENDVM,

Quam

SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS,  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ IN ALMA REGIA  
FRIDERICIANA CONSENSU,  
PRÆSIDED. MICHAELE ALBERTI,  
POTENTISS. REGIS BORVSSIÆ CONSILIAR. AVLICO, MEDI-  
CINÆ ET PHILOS. NATVR. PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, ACA-  
DEM. CÆSAR. NAT. CURIOS. COLLEGA,  
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECIATISSIMO,  
DNO. PATRONO, AC PROMOTORE SVO OMN  
HONORIS atque OBSERVANTIAE CVLTV  
PROSEQVENDO,

## PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus ac Privilegiis  
rite ac decenter obtinendis,*Horis ante- & pomeridianis. d. Januar. MDCCXX.*

IN AUDITORIO MAJORI

sub publico eruditorum examine stabilitum ibit

AUCTOR ET RESPONDENS

IOANNES MARTINVS HOEPPIVS  
Weissenfeensis.

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.



IRAE ERMER GIA

AD MONTU PHO

SENT. VERBIS 27. OCT. 1711  
CAUTION. R. C. W. 1711  
F. 1711

D. MICHAEL E. ALBERTI  
POTENTISS. R. C. W. 1711  
CINE ET R. C. W. 1711  
F. 1711  
P. 1711  
R. C. W. 1711  
F. 1711  
P. 1711

PRO G. C. W. 1711  
F. 1711  
P. 1711

PRO G. C. W. 1711  
F. 1711  
P. 1711

PRO G. C. W. 1711  
F. 1711  
P. 1711

PRO G. C. W. 1711  
F. 1711  
P. 1711





### Thef. I.

**I**Ram atque Iracundiam qualis intercedat *differentia ac distinctio*, ut pæne supervacuum videri posset meminisse; ita aliquid tamen in nostram rem faciet, paucis adferre. Ubi nimirum ex antiquissimarum non solum linguarum, sed & nostratum hodieque receptarum, ut familiarissimo, cuilibet notissimo, in primis circa similem differitatem, usu, ita ex ipsius rei veluti natura, nemo utique ignorauerit, inter *Iram*, Græcis *ὀργήν*, & *Iracundiam*, quam Græci *ὀργιλότητα* vocare amant, eam plane disparitatem, non tam verbalem solum, quam vere realem, interesse, ut illâ ipse irascendi *actus*, hac irascendi *potentia*, ἡ δύναμις, ἀρχὴ καὶ ὅλη τῆ πάθος (Plut. de virt. mor.) quasi *dispositio naturalis*, significetur ac designetur; ita, ut etiam *iratus* quidam, possit esse non *iracundus*, & *iracundus* aliquando possit esse non *iratus*: Unde & ipse Galenus *iram* esse operationem *Iracundiæ* dixit (lib. 6. de Hipp. & Platon. plac.) & pro eadem distinctione stabilienda confirmandaque, (comment. in lib. 1. de pop. morb.) *iratos* dicit magnanimos esse, & humilium rerum contemtores, *iracundos* vero pusillanimes. cæt.

### Thef. II.

Quemadmodum autem Græca antiquitas dictum vocabulum *ὀργῆς ἀπὸ τῆ ὀργᾶν*, (unde *ὀργάζειν*, *ὀργασμός*) primario quidem, ac vere primo, significatu *moralis* cuidam intentioni, voluntariæ (voluntatis) commotioni, vel incitationi, irritationi, tribuit designandæ atque exprimendæ, animi, in-

A 2

quam,



quam, cuiusdam libidini, appetitui libidinoso (bono malove) desiderio impatienti, turgescentiæ quasi libidinosæ (τῶν παίδων ὀργᾶν;) quo sensu ipsum omnino Hippocratem, Medicum, his vocabulis vsum fuisse, integrum est reperire, his terminis speciem quamdam *irritationis moralis* exprimentem: Ita tamen minime contra negandum est, vt potius plane in confesso sit, Græcos non solum Philosophos, sed & Medicos, Hippocratem nominatim, hæc vocabula ad aliam quamdam *corporalem turgescentiæ* significandam traduxisse, interim minime tamen tunc quoque, pro *pathetica* nimirum commotione quadam exprimenda sumtis prædictis vocabulis, *corporalem* simul, spumidam quamdam, turgescentiæ exclusisse (vt euidentis est Sect. I. aph. 22. vbi dicit: πέποινα Φαρμακίειν, καὶ κινεῖν, μηδὲ ἐν ἀρχῇσιν, ἢ μὴ ὀρεῖται τὰ δὲ πλεῖστα ἔκ ὀργᾶ: item Sect. IV. aph. 1. & passim alibi;) immo *actiuam* potius, indignabundam quasi, & impatientem *irritationem Humorū*, non solum intestinam talem, sed plane etiam localem, restrictoriam ad certa loca, per certa organa excretoriam, insuper inuoluiffe ac subinnuisse; id quod tanto minus dubium esse potest, cum principem illum Medicum, nullam omnino commotionem atque agitationem *corporalem in corpore viuo sine peculiari aliquo agente*, eoque in se plane rationali, fieri ac perpetrari, agnouisse, plurima eius documenta testatum faciant.

Thef. III.

Hæc licet pæne sufficere posse videantur, rite intellecta atque explicata, ad rationem denominationis, Græcis vfitatæ, τῆς ὀργῆς, qua nimirum ratione hi *Iram ὀργὴν* vocare inducti sint, deprehendendam, immo rationabilem quemdam conceptum atque intellectum de Ira, de ipsius Iræ genio atque indole, consequendum; facta tamen modo antiquorum mentione, eorum de *Ira sententiam* conceptumque tribus verbis enarrandi animus est, huic deinde meum subiungendi, vt non solum breuiori tunc mihi esse liceat, sed & de vtriusque imprimis veritate, subiuncta vtriusque consideratione, iudicare integrum sit.

Thef.



Thef. IV.

(Sicut autem Philosophi aliter, aliter Medici, definiunt ac describunt Iram, ita præsentis imprimis loci esse videtur, Medicorum potissimum sententiam ac placita examinare, paucisque excutere; Philosophorum tamen in tantum quoque facta mentione, quantum rationi, rationabili, inquam, conceptui, satisfacere videbuntur; cum utique Philosophi æque ac Medici omnia momenta, circa Iræ considerationem occurrentia, vel explicare cordi non habuisse, vel ad omnia postulata & quæsitæ respondere non potuisse deprehendantur.)

Thef. V.

Vbi veteres quidem totius nostri *corporis Oeconomiam* ac munia quasi, quibusdam, ut vocant, *Facultatibus*, distribuerunt, *vitali, naturali & animali*: totum, inquam, hominem in duas partes (quas & recentiores hodieque probant) *corpus* nempe & ψυχὴν, siue Animam (*Naturam* proprie, & veteribus vltimatissime) dispescuerunt; *Animam* quidem utique pro primario summoque corporis nostri, & in corpore nostro, *Agente*, & in dies Officinam suam conservante principio agnouerunt; *corpus* vero (nimirum ita ut in se spectatum, *physicum*, minime vero ut animatum ac viuum,) extra motum utique, & quod nullis omnino *motibus edendis & exferendis* (autocratrice, inquam,) par sit, statuerunt, interim tamen ut *animatum viuumque*, motibus (suis) omnino etiam instruxerunt, *Facultates*, inquam, quasdam eidem attribuerunt, quibus *corpus varie moveatur*, quæ corpus moveant, motibus varie instruant, aliter aliterque agitent: Dicunt, *Naturam corpus humanum*, membra nimirum corporis, statim ab initio (formationis, puto, corporis,) *natiuis talibus Facultatibus instruxisse*, quæ (quælibet pro suis partibus) corpus informare, atque hoc ipsum ex voluntate Naturæ agere, debeant: Dum autem triplicem talem numero Facultatem, ut diximus, antiquissimi Medici omnes vnanimi consensu in corpore humano agnouerunt, quarum *vitam a*



*corde promanare*, (rudi conceptu,) in eoque *sedem suam habere*, voluerunt (quod nimirum & vitalis *primaria* sit in corpore, princepsque Facultas, seu virtus, & viscus hoc primum in toto corpore obtineat, & insitum, siue innatum calorem non solum efficacissime foueat, sed & omnibus reliquis membris impertiat.) ac per *arteriosa* corporis vasa *a corde per uniuersum corpus distribui ac disseminari*; huic præcipue Facultati, vitali, inquam, *Ira pathema* attribuerunt, eoque *irascibilem*, seu *animosam* (Græci θυμοειδὴν, qui θυμὸν definiunt ὀργὴν ἀρχομένην) nominarunt, cum *Iram* quoque *a corde procedere*, sibi visi sint deprehendisse.

Thef. VI.

Definierunt autem, seu descripserunt, iam dum ipsi veteres imprimis Medici, *Iram*, *fervorem quemdam* ac *vehementem motum potentiae* huius in corde sitæ *vitalis*, (Galen. de san. tuend. lib. 2.) qua tamen descriptione, ut verbis breuissima, ita & sensu plane *ambigua*, in dubio sane adhuc dum reliquerunt, *activumne* quemdam fervorem, a rationali quodam principio, vel ordinata intentione, vel turbulenta solum voluntate, susceptum aut inductum an aliunde, *passive* magis immissum concitatumque, intellectum velint.

Thef. VII.

*Recentiores* quidam post hos, uti multo expressius, ita re vera longe multo (ut videtur) *crassius*, circa hanc rem versantur, qui nimirum Naturam incusant, ab extra, nempe ab externis obiectis, factam sibi iniuriam per *Spiritus*, quos ipsi attribuunt atque subiungunt, *vltisci ac vindicare*, hanc Spiritibus suis famulis mandare, hos impetu quodam, denso stipatoque agmine, *Sanguinem*, præsertim illum, qui in corde est, *inuadere*, hinc spasmodicam quandam in corde *contractionem*, illiusque *arteriis*, (sæpe sine dubio repetitum,) oriri, inde *celerem crebrumque pulsum* fieri, eoque, tamquam per necessitatem consequentiæ, *æstum* atque *effervescentiam Sanguinis* provenire.



re. cæt. Qui tamen quam pæne nihil speciosis hisce verbis rhetorizando dixerint, ex ipsa Iræ Historia abunde cognoscere licebit.

Thef. VIII.

*Historia* nimirum *Iræ*, ita, ut in corpore non solum vivo, sed & de cetero sano atque integro, adeoque ab omnibus aliis, vilo modo molestis, quin sensibilibus tantum, ac perceptibilibus, motibus morbosis, ac præternaturalibus, libero atque immuni, sese offert, aut exferit, quantum quidem partim observare, partim ex Auctorum Practicorum hinc inde nominatis circumstantiis signisque ita affectorum, colligere atque adnotare licuit, in eo consistit præcipue: Primum nempe (ordine ac numero) phænomenon, gnomon ac signum, facillime cuilibet deprehendendum, animi ad Iram, quantumcunque levius solum, propter externa obiecta, siue re vera ac vere, siue imaginarie tantum, Naturæ aduersa, commoti, Iræ, inquam, levioris adhuc licet, ac dissimulatæ, est pulsus re-  
 pentina mutatio in celeriores & crebriores; augescente Iræ impetu atque innascente, vel eadem mox ab initio grauiore, magis præcipiti intensaque, pulsus tanto manifestior atque eminentior intensio, celeritas, frequentia; in subiectis audacibus, atque alterationem talem animi dissimulare nescientibus, gestuum quoque notabilis variatio, ibi omnia non solum alacriora, citatiora, importuna, sed animus tanto magis inhumanus, vultus ferox, crudelis, torrens, morosus, indignabundus, corpus inquietum, iectigabundum, fugitium, immoderatum, supercilia demissa, versus nasum contracta, labia corrugata & compressa, plus minus, nasus aliquando crispatus, dentes nonnunquam (sub grauiori Iræ æstu) strident, tota facies intense plerumque rubet, vasa, vt reliqua omnia in genere, ita imprimis frontem & tempora transcurrentia admodum conspicue, turgent, oculi simul plerumque, immo vix non ordinarie, eminent, erecti, inquieti, circumspectantes, scintillan-



*tillantes, minas vindictamque præ se ferentes, genæ rubent, totus habitus inflatus plenusque turget; jam videas pulsum magis magisque intendi, altum, magnum, vehementem, celerem crebrumque fieri, roborari partes, atque his vires adijci nimium quantum nonnunquam fortissimas, omnes humores simul valde commoueri, celerius agitari, ac per omnes partes crebris cordis pulsibus ac vibrationibus citius transmitti, hinc totum humorum latifundium non parum calefieri, totam Massam Sanguineam versus exteriora tendere, immo compelli, vnde sensus per vniuersum corporis habitum oppletorius proximus plerumque comes, in spasmos nonnunquam, quandoque & convulsiones, degenerans aut transiens; (licet quædam momenta aliter sese habeant in iis, qui inter Iram metumque pendentes, meticulosi, minus manifesto irasci audent, iisue, qui Iram reprimunt, Melancholicis, aut Phlegmaticis, & ex his mixtis temperamentis, qui per initia iracundiæstus, vt toto corpore constricti, facie imprimis pallent, cor interea palpitat, Sanguisque nihilo secius ad exteriora tendit atque connititur, donec per vniuersum corpus pertinax nitendi tendendique præualecat conatus, rubore in his quoque ipsis, inflatione, calore, cæt.) vbi artus tremere caputque vacillare, linguam balbutire, tinnire aures, vasa per totum corporis habitum plena turgere, aliquando rupturam minantia, aliquando impetrantia, periculoso non raro euentu, arterias, exterius imprimis, pulsare fortius, experiri licet: Sub tali statu homo extra se quasi positus est, sui oblitus & suorum, in quemlibet contentiosus, impetuosus, immodestus, morosus in respondendo, & ad respondendum, omnia dicendo breuiter, indignabunde præcipitans vindictam spirans, immo anhelans, impatienterque quærens, vt commode enunciat Poeta:*

*Me miserum, vix sum compos animi, ita ardeo iracundia.*

*Nihil est, quod malim, quam totam familiam dari mihi ob-*  
viam, Et



*Vt Iram hanc in eos euomam omnem, dum egritudo hæc est recens,*

*Satis mihi id habeam supplicii, dum illos vlciscar modo, cæt.*

Thef. IX.

Iam nemo reuera sibi persuadebit, ab *externis corporalibus Obiectis* Naturam ita crasso modo, *physico-mechanicæ*, ad eiusmodi motus, tales apparatus, proportionales, ordines ac successus motuum iracundorum, quos modo descriptos dedimus, suscipiendos, instruendos, prosequendos, affici atque induci, siue irritari, Naturæ ita nude *passive* magis, quasi per *necessitatem*, tales motus *communicari* atque *imprimi*, vt Natura non possit facere, quin a talibus Obiectis tali modo afficiatur, & quod vel propterea  $\pi\acute{\alpha}\beta\theta$ , seu  $\pi\acute{\alpha}\beta\eta\mu\alpha$  quoddam audiatur Ira, nude *passive* inductum; quod reuera ad comicos usque risus propemodum deuenit.

Thef. X.

Omnes enim horum motuum successus atque ordines *non a nuda corporea* alicuius Obiecti dispositione pendere, sed *Ens* aliquod *nobilius*, idque *rationalè* omnino, certorum respectuum, certarum intentionum, ac secundum illas *certorum motuum* [vel ordinatorum, vel turbulentorum,] instituendorum *compos*, supponere, vel propterea inducor, vt adstruam, cum dicti æque motus, atq; alii quoq;, in corpore humano fientes vigentesq; omnes *propter certum aliquem ac determinatum finem*, certo respectu, ac secundum certam intentionem, perpetrentur, cum etiam omnes actus, tum vitales, tum animales, in iusto ordine, mutuo successu, & respectu ordinato, atque ad utilem scopum directo, subsistant, aut, si aliquatenus tamen aberrent, in genere *non noui*, aut alii sint, sed iidem (specie, non æque gradu) *vitales*, atque *animales*, motus, semper in homine vigentes, cæt.: vt propterea iusta sit subsumptio, *illud Agens*, quod omnes in corpore motus, siue ordinatorum, siue inordinatos, siue vitales, siue animales, siue ad corporis sustentationem, siue destructionem & corruptionem tendentes, siue



recte decenterque, siue erronee institutos,) *peragit, dirigit, instruit, vnum idemque esse*, illud, inquam, esse, quod *iracundis imprimis motibus præest*, hos tum suscipit, tum perpetrat, corpus, non solum moraliter, sed & vitaliter, agit, aliter aliterque regit mouetque. cæt.

Thef. XI.

Cuiusnam enim alterius agentis iracundiales motus esse possint aut debeant iustius, illi motus, *rationabiliter* omnino suscepti, *conseruationi ac præseruationi* œconomiae vitalis destinati, atque ordine applicati, in genere nihil ab *ordinariis, consuetis, vitalibus* motibus, corpori *ἐνίοις* ac familiaribus, abluentes; cuiusnam, inquam, agenti hos motus ascribendos censebimus iustius, quam illi ipsi, quod & rationis compos, & rationabiliter agere solitum, quod recte agit (ad minimum in genere) &, quæ *necessaria* sunt, (*τὰ δέοντα*) instruit; illi agenti, quod est iustissimum (Hippocratis testimonio, lib. de arte) & eruditum, & artificiosum, & animalium prouidum atque sollicitum, cuius præ reliquis, immo re vera vnice, & absolute, interest, hanc suam Officinam, œconomiam vitalem, saluam atque integram manere; illi denique agenti, quod sibi hoc corpus struit, immo vnice struere potest, atque in usus suos, ita, vt est, formare, omnes denique (vitales dico, & morales) motus in corpore regere, dirigere, instruere?

Thef. XII.

Sic Ira vtique est *motus Naturæ concitatus*. (Dicerem, esse motum atque *effervescentiam* vehementem *Facultatis vitalis*, in corde habitantis, si illud ita esse verum, vel ipse agnoscere potuissem, vel probare valuisssem. Dicerem, Iram esse *effervescentiam bilis*, ac *feruorem* eius, vel *sanguinis*, in ipso corde, *veterum* itidem *sententia*, si hi illud ipsum, cordi habuissent, nempe actiuumne talem feruorem, an passiuum magis, ab alio aliquo agente in felle aut sanguine concitatum, eisdemue inductum intelligant, explicare.) Sed vt ex dictis veluti sponte fluit, Iram motum tantum esse *nonnaturalem*  
(ne;



(negent qui possunt,) sic vltcrius tamen idem probare aut illustrare operæ pretium vtique esse videtur. Vbi nimirum meminisse oportet, (cum *naturales res* nullas esse, quam quæ ad ipsam *naturam*, vt aiunt, seu *essentiam* corporis absolute pertinent, ita, vt sine illis corpus exsistere non possit, in medicis scholis confirmatum, & a plurimis retro sæculis ita receptum sit,) quod *præter naturam* dicantur a veteribus imprimis, tum & recentioribus quibusdam, Medicis, ii affectus, immo omnia ea, quæ ex *Naturæ ordine & constitutione* non sint, sed ex aduerso *naturalem* corporis *statum labefactare, alterare ac peruertere* possint, immo *actibus* ac motibus *Naturæ* plus minus *officere*, eaque *impedire* apta nata sint, eoque *Naturæ fines excedant, vires ac functiones* *Naturæ* corporisque *interturbent*. Atqui (1.) vt omnia, in genere, Animi pathemata, ita *Iram* quoque, *inter res non naturales* (tales, inquam, quæ ad existentiam quidem, & internum concursum non pertinent, interim ad subsistentiam, seu durationem corporis, vt uiui, partim *necessariæ* sunt, partim inuitabiles, seu *non emanentes*.) connumerare ab omnibus Seculis consueuerunt Medici; deinde vero (2) *morbi*, qui re vera sunt *præter naturam*, definiuntur ab antiquis Medicis, quod sint *κατασκευή τις, ἔσθ' ἀπὸ φύσιν, ὑφ' ἧς ἐνέργεια βλάπτεται πρῶτως*, (Galen. lib. 1. de san. tuend.) & (de differ. sympt. c. 1. eidem Galeno) *διάθεσις ἀπὸ φύσιν, ὑφ' ἧς ἐνέργεια βλάπτεται*: Iam vero (3) *ab Ira* (tanto magis si iustis suis limitibus contineatur, neque modum excedat; immo in genere plane, nempe proximitatis vel materialitatis, vt ita dicam, causalis respectu,) nulla (directe) *lesio*, neque actiuitatis *Naturæ*, neque constitutionis corporis in sanitate atque integritate sua, sequitur; vt Galenus potius (lib. 5. de sympt. caus. c. 5.) adstruere non dubitet (quamuis id ipsum ita vt in genere minime sequar argumentum,) *ex iratis neminem unquam mortuum esse, utpote quibus neque calor naturalis refrigeretur, neque rubor dissoluatur*: Ita (4) euidentis omnino est, non ita *directe*, tanto minus *communi acceptione*,



Iram pro *morbo* habendum, sed si quid ex illa aduersi propullulet, per *indirectum*, *naturæ errorem*, euenire, existimandum esse.

Thef. XIII.

Iram præterea statuo esse motum Naturæ nihil *turbulentum*, sed certam quendam *intentionem*, in genere conuenientem, & ordinatam supponentem, bono fine, inquam, susceptum, *vitale*. Licet enim *veteres* quidam *Medici*, tum & *Philosophi*, idem illud, quod mihi aliquis obiicere posset, *Iram* nimirum esse motum *turbulentum* non solum, sed toto genere *præternaturalem*, adstruere quibusdam locis, videri possint, quando Animi accidentia, Græcis in genere *πάθη* seu *πάθηματα*, Romanis Passiones, seu Perturbationes mentis, dicta (quorum Galenus lib. de arte med. numerat, *Iram*, tristitiam, furorem, timorem, inuidiam; & Cic. lib. 4. Tusc. quæst. adhuc multo plura, quæ tamen Medicum nihil magno-pere occupare debent, Philosophis potius commendanda,) ea vocare solent, quæ *animum molestia implent*, *deprimunt*, *auersumque a recta ratione reddunt*, *pulsam ac respirationem varie alterant*, eaque esse *motus quosdam concitados, rationi non obtemperantes*, voluerunt; quæ & ipse Stoicæ Sectæ auctor, Zeno ille, *auerfam a recta ratione, contra naturam, animi commotionem* definire consuevit: tamen eo ipso, quando commotionem aliquam a recta ratione auersam, ea nominant, nihil aliud dicere (etiam ipsos illos Philosophos,) voluisse, possum interpretari, quam accidentia talia esse *Errores* quosdam, *Animi* vel non recte adhuc de re aliqua instructi, vel non satis circumspecte atque attente omnes rei circumstantias comparantis, sed generaliorum solum ipsius momentorum intuitu, mox *ad conclusionem præcipitis*, mediis ad plenam eius considerationem necessariis non vndique conquisitis, aut ad vnum quemdam complexum comprehensis, recta ratione pensitandis: Vel si hoc ipsum tamen veteres non voluerint, eoque ipsa magis pro aliqua passione, Naturæ ab externis

Obie-



Obiectis oblata, habuerint, ego tamen ipsis in hac re nullam omnino rationem video assentiendi.

Thef. XIV.

Quod autem illos motus iracundos dicam *non turbulentos*, inordinatos, irracionales, sed certam quamdam *intentionem*, (in genere Naturæ visam) *bonam*, laudabilem & ordinatam supponentes, bonoque fine susceptos, ad *salutem corporis* conseruandam collineantes, *vitales*, adeoque *nihil morboſi* vel *supponentes*, vel *ſouentes*, vel *inferentes*, haud ita difficile & ipſum erit probare. Sicut enim generalis *huius motus finis* atque *intentio*, immo *contentio*, ad aliquam *rem*, Naturæ *adverſam* viſam, (ſicut *omnes Animi alterationes*, vel ex *duobus opinatis bonis*, vel ex *duobus opinatis malis*, oriri, eidem Zenoni Stoico viſum eſt,) occupandam, repellendam, diripiendam, ſubigendam, cum *constantia* & *ulciſcendi* intentione inſequendam, reſpicit, *moraliter*; ita in *vitalibus* quoque hunc eundem ordinem apparet ſervare Naturæ, intentioni ſuæ plane congruum, ex amuſſim reſpondentem atque ad æquatum, dum nimirum *Humores* cum vi aliqua ad exteriora *transfert*, eosdem illi adverſo Obiecto quaſi *opponendo*, iisdem illud quaſi *inſequendi* atque *avertendi* animo; neque hoc ſolum, ſed *vires* quoque partibus *externis* (vehementius impuſſo *Sanguine*,) addit, longe ultra naturalem ſtatum maiores, *tonum* partium *intendit* firmatque, ut intentioni Naturæ, *fugandi* ſcilicet, *percutiendi*, (moraliter,) cum vi ac robore *repellendi*, exſequendæ ſufficiat. Vnde ſi tanta cura, ſollicitudine, proportionem hi motus adminiſtrantur, nihil eſſe, quod *turbulentie* cuiusdam, in edum morbi, ſuſpecti habeantur, certo ſcio.

Thef. XV.

(Iram nimirum deſinio Motum Naturæ concitatum, non-naturalem (in genere) *nihil turbulentum*, ſed certam quamdam *intentionem*, (in genere) *bonam*, laudabilem, ordinatam-



*que supponentem, bono fine susceptum, vitalem, per motuum corporis, tonici, ac pulsorii, seu progressiui, ad exteriora tendentis, solito maiorem intensiorem & concitationem imprimis efficacem, ad aliquod obiectum, Naturæ vel re vera, vel imaginariæ solum, ac fictitiæ, aduersum, externum utique, depellendum ac proscribendum, destinatum)*

Thef. XVI.

*Iram dico per motuum corporis, tonici ac progressiui, seu pulsorii, & huius quidem vniuersim manifesto versus peripheriam corporis tendentis, solito maiorem incitationem & concitationem, imprimis efficacem esse: In quo quidem asserto non solum vniuersam scholam medicam contentientem habeo, sed illo imprimis, post alia multa, argumento ipse quoque eidem accedere inducor, quod, cum ille cordis pulsorius motus conceptam in animo indignationem illico non solum suscipiat, vt ita dicam, illam percipiat, ac prodat, vehementiori, celeriori atque crebriori transpulsui Sanguinis ac vibrationi incumbens, sed eandem quoque perpetuo, maiori vel minori gradu, sequatur, illaque demum extincta, ad quietem tranquillitatemque redeat; cum, inquam, ab efficaci intensaque Ira eodem omnino momento non solum motus vniuersalis sanguinis, pulsu cordis, plus minus, perpetuo tamen satis notabiliter, quin eminenter, alteretur, verum etiam tono reliquarum corporis partium subinde momentanea mutatio accidat, in momenta augescens; cum denique sub tali statu externa omnia inflentur, turgeant, rubeant, cæt.: illa omnia ab impulsu versus exteriora sanguinis euenire non modo, verum etiam animi huic alterationi ac perturbationi (cum materialem, nedum vllam aliam causam hic ne fingere quidem liceat,) adscribenda atque in acceptis ferenda esse, nullum omnino est dubium. Quod autem hic toni vigorem, siue intensiorem nominem agnoscamque, quum quidam contra sentire videantur, ego interim illud tota sequenti tra-*



tractatione, exemplis, vndique & vndique obuersantibus rite consideratis, stabilire ac confirmare susceperim, hæc, pro salvanda mea definitione, quam posui, illaque assertione (quod Ira nihil aliud sit, quam *intentio* quædam, rem quocunque demum respectu *noxiam aduersamque avertendi* atque *amoliendi*), probanda, breuiter dixisse, aut subinuisse solum siue indigitasse interea sufficiat.

Thef. XVII.

Quorum quidem intuitu respectuque (dum, præmissa breui descriptione *Irae* in corpus humanum *Energiae*, quoad τὸ ὄν, veniendum quoque est ad *concursum* ipsum, ac *consortium* quasi, huius *Energiae ad morbos producendum* specialius,) illud utique conficio, volo, contendo, quod *jarn* posui, *Iram*, ut in se spectatam, *non esse morbum* vulgari sensu accipiendum, neque directe, proprie, præsertim communi loquendi more, quidquam *morbofi* corporis œconomiae inferre.

Thef. XVIII.

Quemadmodum autem inter recentiores æque, (& hos imprimis) atque antiquiores *Pathologos*, *diuersas* re vera, immo sibi vix non *aduersas*, colligere licet sententias de acceptione atque interpretationi τῶν *morbofi morbique*; dum nimirum alii, quæ sunt *contra naturam*, non æque, quæ *præter naturam*, *morbum* vel exsistere, vel constituere, alii, *utraq;* *morbum* esse, volunt, eoque *morbum* pro omnibus iis, quæ homini *præter naturam* accidunt, accipiunt, *subiectum* autem *morbi partes* solum corporis *viuentes* statuunt, immo alii insuper, quod omnis *læsio* non solum primo & directe *corpus materiale*, qua tale, inuadat, sed etiam *concurrentes* aut *consequentes læsiones actionum* pari ratione simpliciter sequantur *mechanicam* rationem *corporearum* talium *lesionum*, afferunt, alii denique, uti *sanitatem* in *equabili* motuum corporis partium, tum *solidarum*, tum *fluidarum*, ordine, tenore, successu, ita *morbum*, in eorundem *perturbatio*.



*batione*, & a iusta naturali proportionē *aberratione*, vel *auersione*, ponunt: Ita secundum diuerſas has ſententias reſpectusque, hi quidem non dubitabunt, *Iram* non tam *évegyétas* cuiusdam ad producendos morbos accusare, quam eandem pro ipſo *morbo* proclamare ac venditare, adeoque tanto magis plurimorum heteroclitorum atque alienorum effectuum, dubiam, ſuſpectamne magis, an omnino *ream*, agere; alii contra, quando *Iram* *nullam* talem *corpoream* ac *phyſicam læſionem* directam, vel in corpus, vel in animum, ſupponere, tanto minus autem inferre, agnoſcent, eandem ab omni ſuſpicionē morboſæ ſiue conſtitutionis, ſiue *évegyétas* effectusque, eximere nitentur.

Theſ. XIX.

Breuit̃ & candide: Cum (1) *Sanitatem* tum *remotio* alienarum ac noxiarum, *ſecretio*, & e toto corpore *excretio* continuitatem partium ſolidarum, ac fluidarum mixtionem diſſoluentium rerum, tum nouæ materiæ alimentofæ, ſalutaris *admotio autoeratia*, ab ipſo Principio vitæ humanæ, ſibi optime conſtante ac ſufficiente, perpetrata (per *Circulationem Sanguinis*, tanquam primarium mediatorum horum ad Sanitatem collineantium actuum instrumentum,) tum denique *partium* ſolidarum iuſta habitudo ac *diſpoſitio* ad *motuum* debitorum (cuiuſcunque generis) iuſtam proportionem gradumque ſubeundum, præſtet; (2) *morbus* contra in *impedita* hac corporis *conſeruatione* ac præleruatione, principii vitalis ſiue *imbecillitate*, ſeu *turbatione*, peruerſione, cæt., conſiſtat; dico, cum ad omnis generis morbos *materialem* quamdam *diſpoſitionem*, partim *corporis* humani ſtructuræ ad *corruptionem* ac fatiſcentiam ſumma *propenſio*, partim *materiarum*, *aliunde* corpori obuenientium, poſitiva magis atque actiua in ipſum efficacia effectusque, conſtituat, *formalis* autem ad morbos diſpoſitio præcipue in *motuum vitalium* *ataſia*, *turbatione*, *turbulentia*, *peruerſione* (concepta, introducta, relicta fundetur, minime



me vero (3) nuda quædam *motuum* corporis (circulatorii, tonici, cæt.) *intensio* morbi, seu *morbide constitutionis*, indolem caussamue exhauriat; dum (4) *Ira*, motus inquam, illi, quibus *Ira* vel prouocatur, vel perpetratur, neque vllam *corporalem*, materialem, physicam *læsionem*, seu *præcedaneam* possunt, aut supponunt, (tanto minus ab externis obiectis nudo adspectu obtutuque, quod quidem ex horum sequeretur sententia, qui physico-mechanicas causas *Iram* producere, si non vident, tamen concipiunt & supponunt, illatam,) vtpote corpore vel absolute sano, atque illæso, vel ad minimum nihil quidquam ad qualemcunque proportionem affecto aut læso, & inuadentes, siue obueni-  
entes, &, ceteris paribus, exeuntes, seu desinentes; siue *absentem* talem læsionem *inferunt*, directe, vel solidarum, vel fluidarum quoque corporis *partium*, vel *actiuitatis vitalis*, quin *acuant* potius atque erigant; dum etiam (5) *Ira* in toto corpore humano *nihil* principaliter *mutat materialiter*, neque materiam corporis directe, sed *motus* primario, afficit, per hos vero materiam demum mouet; dum (6) *Ira*, in *statu*, ita, vt est, *corporis*, *admodum consueta*, (plus minus,) *familiaris*, immo *ab homine*, naturaliter, velut *inseparabilis*, *perpetua* atque *indiuisa comes* est, ita, vt *homo* naturaliter vix *concipi* possit, aut intelligi, *existere*, immo vix vnquam quisquam *existit*erit, sine *iracundis* animi affectionibus, adeoque *a nullo vno homine naturaliter emanat*, (licet sine tali etiam affectu, si possibile esset, ipsum vitare, homo diu quoque, immo in optatissima sanitate atque incolumitate, persistere posset, quamuis *Ira* naturaliter fines *Naturæ* nihil quidquam excedat, sed morbi consequentes excedant;) Cum, inquam, omnia hæc ita sint, quo demum iure meritoque *Ira morbus* audiat, tanto magis apud hos, qui omnis læsionis, tam corporeæ, quam (vt ita dicam,) motualis, *mechanicam* rationem causamque statuunt, longum forte esset, satis mirari.



Thef. XX.

Denique si quis *iracundos* cum omnibus reliquis motibus, plus solito *intensis concitatisque*, vel hos ob id, quod *intensi*, adeoque velut a *statera* deflectentes, vel illos, quia vix a *morbosis* aliis *symptomatibus* liberi sunt atque immunes, pro *morbosis*, ipsisue omnino *morbis* habeat venditetque; ego, quod *motus* in genere *concitato* attinet, protinus ad motus quoscunque *voluntarios* prouoco, præsertim vehementiores tales, *laboriosos*, quibus & *progressuus* & *intestinalis* Humorum, & *tonicus* motus partium solidarum molliorum [sine ordine ad ossa,] vtique plus solito intenditur concitaturque, eoque variæ *exundationes*, *turgescentiæ*, *orgasmi* Humorum fere quotidie, [plebeiorum exemplis,] vigent, [a cursu, saltu, membrorum crebra iactatione, nisuque,] corporis interim statu omnibus numeris *sano* atque *integro* relicto, quin voluntariis talibus motibus, vel ad *præoccupationem* plurimorum, ferius ocys consecuturorum, *affectuum*, vel ipso cursu *interceptionem*, maximam commendationem apud scriptores practicos merentibus, plus minus intensis: quod autem reliqua ista, vix non *morbosa iracundorum* motuum *symptomata*, ad quos aliquis forte prouocaret, concernit, sciat hic vtique, quod hæc minime sint *de genere* ipsorum *iracundorum* motuum, sed horum nonnunquam *vestigia* solum legant, sæpe eadem iterum destituant, aut deserant. cæt.

Thef. XXI.

Quamquam autem hæc hætenus dicta re vera ita sese habere nullus omnino dubitem, minime tamen nego, quin directe asseram, immo tota reliqua mea tractatione demonstratum stabilitumque eam, *Iram* peculiari omnino *Energia* quadam, siue efficacia, ad varios [numero & specie,] *morbos*, varii omnino schematis ac genii, eosque numero plurimos, iam maxime præcipites, nunc admodum longinquos, valde pertinaces, sæpe recurrentes, *producendum*,



*non directā illa quidem Energia, concurrere, sed iustos suos ac naturales quasi fines ac terminos excedendo, velut in devia aberrando, verum primum ac vere primarium scopum ac rationabilem intentionem relinquendo, subterfugiendo quasi, ac peruertendo, & deinde quoque magis, quam necessum sit, pertinaciter insistendo, pulsorios, vel tonicos motus non tam ita intensos tantum diutius detinendo & continuando, quam alienos illos, nihil ad rem facientes, suscipiendo, alieno plane modulo aggrediendo, mediatis utique, respectivis tantum, subalternis actibus atque effectibus, conspirare.*

Thef. XXII.

Sicut autem hoc respectu *Causæ* non tantum nomen, sed omnino verum habitum, ad *producendum* causandumque plurimos *morbos*, re vera tuetur *Ira* hæc *Energia*; dum extra omne dubium positum est, immo vulgi tum communi agnitione, tum variis formulis eiusdem confessione, perspectissimum exploratissimumque habetur, quod *prægressa* talia *iracunda pathemata* plurimi alii, plus minus a prima, eaque primaria Naturæ intentione, contentione, ad quam iracundi motus proprie collineant, alieni, *morbi consequantur*; ut proinde *Iram* extra omne periculum consecutorum aliorum, communiter longe grauiorum, affectuum absolute ponere velle, idem esset, atque contra *quotidiana* talium exemplorum testimonia pugnare nitique; immo ut communiter Medici pathologi ad *formalem euentum* [plerorumque omnium] *morbosorum effectuum*, poscunt, seu referunt, imprimis *causam occasionalem, antecedentem, & continentem*, occasionalem autem vel *materialem, vel violentam, vel immaterialem* agnoscunt: Ita *Iram* quoque quamlibet iidem, in ordine causandi, pro *occasionalis* tantum [utique immateriali ac morali] causa communiter habeant; minime tamen negandum, quin multorum omnino exemplorum testimoniis protinus accipiendum est, sæpe numero, ad varios



morbos producendum *proxime antecedenter* quoque eamdem conspirere.

Thef. XXIII.

Dico, *proxime antecedenter*. Dum enim ad quemlibet vnum *morbum producendum* cauſſandumque tum *materialis* aliqua, ſiue immanens & intrinſeca, ſiue externa, *leſio*, tum *motuum* imprimis naturalium, conſuetorum ac ſalutarium, *alteratio*, *turbatio* ac *peruerſio* plurimum poteſt, ita tamen, vt illa quandoque abeſſe, hæc minime emanere poſſit, tanto minus autem vnumquam ſoleat; hoc reſpectu minime mirum eſſe poteſt, quod, *iram* haud ita raro quoque *proximæ antecedentis* morborum *Cauſſæ* vices tueri, aſſeram.

Thef. XXIV.

Et quod *formalem* quidem *morborum euentum*, non tam poſſibilem ſolum, ſed re vera ſolitum conſuetumque, *ſine materialis* cuiuſcunque *cauſſæ* vllò perceptibili *veſtigio*, concernit, longum hic forte eſſet, minime tamen toto genere ſuperuacuum, illam aſſertionem quibusdam illuſtrare exemplis. Ad *Energiam* autem illam imprimis *Iræ*, ſine vllò, vt dixi, vllius *materialis* cauſſæ *concurſu*, vel anteceſſu, adeoque *proxime*, cauſſandi ſeu *producendi* *varios morbos*, quod attinet, quæ illud adſtruunt, *Energiam*, inquam, hanc confirmant, exempla ac documenta non leuis momenti in promptu habeo. Vbi nimirum conſentiunt ac conſpirant omnium Practicorum teſtimonia, quod quandoque in *œconomia vitali alterationes* quædam, *turbationes* ac *peruerſiones* oriantur, ſæpe, admodum diu vexantes, ſine ordine ad certa tempora recurrentes, quarum nullam rationem & *connexionem cauſſalem* in prægreſſo vel vitæ genere, vel aliis circumſtantiis, [animi ſiue genio, ſiue pathemate, ſpecificè excepto,] reperire integrum ſit, in *patheticis* autem, imprimis *iracundis*, animi *commotionibus*, [conſpirante præcipue *aa* *tales alterationes animi propenſione*] deprehendere ac  
repe-



reperire protinus liceat. Est autem hoc fere ordinarium, tum in aliis [animo & corpore] *delicatiores* ac *sensibili- bus*, tum imprimis in *sequioris sexus* [in genere] *personis*, in quibus præ reliquis animi commotionibus *iracundæ* im- primis *evidentissimi* non solum, sed omnino *præsentissimi* ac *momentanei effectus* sunt, ad multiuarias *turbas* circa *motus vi- tales* non solum citissime *prouocandas*, sed & diu *continuan- das*, sæpe reuocandas ac repetendas, & circa anomalias tales consuetudinem quamdam & habitum, magis magisque inso- lescentem, obfirmandum, (vid. Illustr. atq; Exc. D.D. Stahl's Diff. de mot. ton. vit. p. 5. sq.) adeo, vt *multo plures asse- uerare* non dubitet Bagliuius, inter animi commotiones patheticas *ex Ira imprimis oriri morbos*, quam ex quali- cunque *diætæ ataxia*. Nomino hoc respectu non tam raros illos in praxi medica affectus, sine vlllo *evidenti*, aut *percepti- bili materialis* cuiusdam causæ, actu *peccantis* concursu, ad *morbos* tales *producendum habitu*. [ob id *idiopathicos*, seu *pro- topathicos* dictos,] ob animi imprimis *iracundas* commotio- nes, inuadentes vexantesque, *Epilepsias* tales, *paralyses*, *apoplexias*, *febres* continuas æstuosas, *palpitationes* cordis, cæt. Hic sanitatis vt amantissimus, ita re vera & obser- uantissimus, diætæ scrupulosissimus, si quidquam ipsi de *repente intensius irascendi* occasionem obiciat, aut neces- sitatem velut imponat, is, quo minus mox variorum *mor- borum* impetum in se experiatur, haud ita diu sese tu- tari poterit: Ille a natura *tranquillo*, *placato*, atque ad o- mnes veluti regulas composito præditus *animo*, si semel illud quasi *æquilibrium* excedat, (cum omnino *vis impres- sionis & alterationis ab externis obiectis ad commouendum afficiendumque animum tanta quandoque sit*, vt nulla inter illam *animique habitum* intercedat *proportio*,) is momento quasi *circa sanitatem periclitatur*. cæt. Quæ omnia certe, si quidquam aliud, plurimum profecto faciunt, ad *Energi-*



am Iræ ad morbos producendum rite æstimandam & cognoscendam.

Thef. XXV.

Huic assertioni, quod *plurimorum* ac *variorum morborum* fecundissima *mater* existat *ira*, cuilibet homini quandoq; eueniens, ac naturaliter minime ab homine separabilis, aut emanens, subiungo aliam quamdam thesin, directe quidem illi contrariam visam, sed non minus attentâ pensitatione veram, ac priori subordinatam, deprehendendam; *quibusdam* nimirum *subiectis* non modo, sed fere *magis uniuersim*, aut *in genere*, *Iram* vel *nihil quidquam* omnino, vel re vera immensum quantum ad vllam proportionem numeri ac frequentię obuientium patheticarum talium alterationum, *rarissime*, aliquid *noxii* inferre, sanitatemque atque integritatem minime ad vllam sensibilem, aut sensualem, perceptionem, alterare.

Thef. XXVI.

Vbi nimirum, licet minime omnino *rationem Causalitatis* cuiusdam *physicæ*, immo ne *moralis* quidem, concipere ac monstrare integrum sit, quo, inquam, causali respectu illa *ad patheticas tales commotiones* (*moralis* utique, atque idealis,) *propensio*, immo *habitus*, nitatur, nisi quod vulgus quoque, (sane non ex nudis speculationibus, sed quotidiana fere talium exemplorum obseruatione & obuersatione, doctus,) exprimere soleat, talem esse huius vel illius personæ *naturam*, *indolem*, inquam, ac *genium connatum*, siue *naturalem inclinationem*; euident tamen est, atque extra omne dubium positum, quod dentur omnino tales homines, attentæ obseruationi obuui, ut corpore robusti, firmique, ita *animo* præcipue *minus sensibiles*, qui nihil solliciti, nihil timidi, curarum, mœroris, aliorumque affectuum imperio nihil magnopere non tam obtemperantes, quam succumbentes, licet quandoque, immo re vera *sæpissime*, *iracundas* tales animi



mi commotiones atque alterationes, quantumcunque *vehementissimas*, experiantur, illarum tamen velut *incurii*, nihil magnopere æstimantes, mox iterum alterationes tales ex animo dimittunt, aut velut abiiciunt, mox ad sic fatis notabilem pristinorum & ordinatorum *motuum naturalium vigorem* redeunt, eoque *nullas æque sensibiles*, nedum *repentinas*, circa sanitatem *alterationes*, aut *vacillationes* experiuntur.

Thef. XXVII.

Qua postrema tamen assertione, [non illud profecto, quod Ira ita *indiscretim* forte, vel *bona fortuna*, noceat, vel minus; sed] nihil omnino aliud volo, quam ut *principii vitalis* [in talibus quidem individuis,] ad *constanter*, nihil *turbulenter*, ordine *magis*, iusto *gradu*, iusta *proportione*, idque [iterum dico] *constanter*, agendi ac perdurandi *adsuetudinem*, immo perpetuam atque indubiam *voluntatem*, subinnuam; dum nemini omnino ignotum esse potest, dari re vera tales homines, ut dixi, qui *frequentissime* atque *intensissime* irascantur, nihilo tamen exinde peius habeant, sed *Sanitatem illibatam* tunc quoque seruent ac tueantur, immo eo ipso velut infallibilem *characterem intemeratæ Sanitatis* exferant, quam diu illum *irascendi habitum*, proclivitatem ac promptitudinem, non *adscititiam* magis, siue *asceticam*, quam *connatam*, retinent, saluamque seruant; quando autem illam [vulgari formula] *naturam* suam ac genium, id est, naturalem habitum & consuetudinem, *mutent*, ab eaque deflectant, vel iam ipso actu *ægrotare* ac male habere, vel ad minimum in limine proxime ægrotandi, ac circa Sanitatem periclitandi, constitutos esse: Vbi contra eadem euidencia illud quoque gaudet, quod, quo magis *imbecillus*, *inconstans*, *sensibilis*, *humilis abiectusque* est *animus* personæ alicuius, tanto facilius etiam *corporis æconomia* ab *iracundorum pathematum insultu* afficiatur ac *laboret*: Adeo quidem



dem, vt propemodum axiomatis cuiusdam loco non dubitem ponere atque asseuerare, quod, *qualis sit in homine sano circa Iram & ad Iram habitus, talis etiam in eodem ad morbos producendum Irae vel Energia ac promptitudo, vel aegritudo* [vt ita dicam,] deprehendatur; & contra.

Thef. XXVIII.

Quod dixi, quibusdam Subiectis Iram quam minimum damni in proprium corpus redundantis, inferre, valet illud quidem in specie de Ira, vt aiunt, *satiata*; sicut contra repressa eadem, seu *concocta*, plurimum noxae proprio corpori intentare, immo adferre, eoque quicquid hactenus in corpore quietum fuerit, Ira tali interueniente, reassumi ac moueri, in ordine ad remouendum, immo ad remotionem vsque, deprehenditur: Interim cum circa hanc causam ingens quoque differitas *indolis* hominum, seu *temperamentorum*, vt vocant, immo per illa ipsa, *diuersa*, vt in genere ad quoslibet motus siue suscipiendos, siue tolerandos, *procliuitas* ac promptitudo, ita in specie ad iracundas commotiones, occurrat, cuilibet plebeio vix non obseruabilis; de hac ipsa, quam dixi, diuersitate, [tum promptitudinis ad irascendum, tum reciproci Irae habitus ad morbos inferendum,] quantum potest breuissime, res vtique postulat, pauca subiungere.

Thef. XXIX.

Magna vtique communiter ad patheticas tales, *iracundas*, inquam, Animi commotiones, siue suscipiendas, siue inferendas, vis est *impressionis externorum obiectorum*, cuilibet homini singulo sine vlla exceptione [diuerso licet gradu obiectoque] eueniens, sed plerumque, immo propemodum ordinarie, *multo maior* [veterum ad minimum testimonio, immo quotidiana adhuc dum obseruatione cuilibet illud idem testatum confirmatumque reddente,] ad Iram non modo simpliciter *excitandam*, sed & omnis generis turbas cum tali Animi pathemate *prouocan-*



*candas*, illa est *commotio*, *incitatio*, *irritatio*, quæ ab hominum *temperamento* dependet. Vbi nimirum verum obseruatur axioma illud, quod modo posui, *Iram* videlicet *non tam facile* vel excedere, vel re vera *nocere* in subiectis, *motibus* talibus *iracundis*, vel a natiuitate, (a natura,) destinatis, *adsuetisq;*, vel longo habitu adlicitis gaudentibus, in quibus frequenti exercitio, frequenti sensu, crebro recurſu, illa Naturæ circa tales alterationes (seu passionēs) *sensibilitas*, & ad alios repentinos, impetuosos, contumaces, pertinaces motus suscipiendos occasionalis quasi *irritatio*, velut obtunditur atque hebetatur; contra vero in *subiectis*, *his motibus nihil adsuetis*, rarius, (immo tanto magis perquam raro,) eosdem siue suscipientibus, siue patientibus, immo tanto minus ad hos cum aliquo tenore & constantia exsequendum a Natura destinatis, munitis quasi, vel prædispositis; (sicut omnes meticulosi, sensibiles, teneri, pusillamines non tam solum afficiuntur facile, quam læduntur *Ira*;) vix non perpetuo *Iram noxiæ veluti messis vberam* feracemque existere. Ea nimirum est hominum indoles, vt circa res consuetas ac familiares nihil quidquam alterentur forte occurrentes, neque quidquam noxii inde siue metuant, siue præsumant, ad rariores vero, velut ad nouas plane, immo aduersas, protinus hæſitent ac perturbentur: Vbi v. g. frequens experientia illud extra dubium constituit, exemplis plurimorum affectuum, sanguinis non tam æque abundantiam, quam strictius redundantiam, siue, vt vocant, turgescētiā, supponentium, aut sequentium, quod in his *commotiones turgēfactoriæ* sanguinis a quacunque demum causā, (cursu, vino,) tanto magis autem *ab Ira*, (vel propter *Iram*,) euenientes, fere *continuae* ac *perpetuæ*, vel ad minimum admodum *frequentes*, sæpius reuertentes, *non æque heteroclitos eiusmodi affectus effectusque inducere soleant*, quam quæ *rarius*, admodum per vices, adeoque Naturæ tanto maiore *sensibilitate*, *perturbatione*, *irritatione*, accidunt.



Inter omnem aut hominum numerum, (tanto certius autem inter Germanos nostros,) occurrit imprimis quadruplex illa, maxime conspicua, indolis (animorum, & constitutionis corporum) seu *temperamenti differentia*, *sanguineum* nimirum temperamentum, *cholericum*, *melancholicum*, *phlegmaticum*, tum ex his magis simplicibus *mixtæ* quædam *constitutiones*, sanguineo-cholERICA, melancholico-sanguinea, cæter. Vbi *sanguinei* quidem, utpote a Natura *sensibilissimi*, (reliquorum respectu,) ad *frequentes* non modo, sed re vera numero *plurimos*, omnisq; generis propemodum *affectus*, imprimis (ut vitiorum, quibus hi patentissimi, fontem, a quo multi quoque affectus profluunt, nihil moueamus,) ob fecundam illam plurimorum morborum matrem ac fomitem, *Plethoram*, quam hi ipsi, præsertim magis simpliciter tales, fere perpetuo alunt, *dispositi*, immo iisdem *expositi*, ex his imprimis fundamentis etiam ab *iracundis* pathematibus præ reliquis re vera *magis afficiuntur ac periclitantur*. Ut autem hi ipsi in moralibus, tum vitalibus, prompti sunt, expediti, liberi, agiles, magis tamen *sine aliquo impedimento agere ac mouere tum amantes*, tum *adsueti*, eoque *moderatis* potius, quam turbulentis, adibus ordinarie gaudent, atque in his quoque plena libertate, *facilitate*, promptoque *successu* (in statu sano) fruuntur, ita, ut ad hos rite prosequendos nulla æque vehementia impetuque opus sit, sed satis *moderatus* quoque impulsus sufficiat, sine metu impedimenti *aliquius* repente sese oblaturi, interim *rebus* tamen quantumcunque *dubiis* facile ad *extremum alterutrum proni*; in vitalibus autem eadem quidem libertate tum viarum ad motus, tum humorum, fruuntur, & ob id nullis æque fortibus, atque impetuosis motibus neque gaudent, neque adsuescunt; eoque (ut in moralibus, ita re vera etiam in vitalibus,) *repente oblata noxâ* aliquâ, admodum *præsentanea* atque *actiua*, promptum excidium corpori minitari visâ, *desperabundi*,  
anxi,



*anxii, trepidi, dubii*, tanto hosti *impares* visi, ab eodem ag-  
grediendo citius fere abstinere, quam impetantur; quando  
autem sese *superiores* aestimant, tanto *impetuosius* ipsum  
oppugnant, cæt.: Ita, vt dixi, circa *iracundas* imprimis a-  
nimi alterationes pari ratione vel plane *animum abiciunt*,  
nihilque tentare audent; vel tentant quidem, mox vero *du-  
bitant, diffidunt, desperant*, (tremores, lipothymias, paralyfes,  
apoplexias, cæt. incurrunt;) vel ex aduerso in *immodera-  
tos impetus*, vehementesque motus, si aduersus externum  
quoddam obiectum eosdem exercere non audent, vel non  
possunt, in *proprium corpus* sæuientes, in spasmos impri-  
mis, conuulsiones, arthriticos affectus, gonagram, poda-  
gram, cæt. prolabuntur.

Thef. XXXI.

Et ob id quidem non sine iusta causa, *Sanguineis* im-  
primis *iracundas* exagitationes *plurimum noxæ* fere perpe-  
tuo, vel ad minimum nimium quantum *sæpissime*, prædixe-  
re ac minari, mihi videor edixisse. Quis enim *Cholericis*  
taliam, vel similia, vel quælibet alia pathemata facile prædixe-  
rit certo secutura ex sola admissa Iracundia? qui de cetero,  
etiam in stato quam maxime s. n. sanoque, prompti, a-  
giles, vigiles, alacres, immo præ omnibus reliquis eminen-  
ter quasi *iracundi* habitus, ac re vera agnoscendi, semper ali-  
quid agere gestientes, & agentes, minime segnes, aut otiosi,  
sed etiam circa res quam maxime consuetas notasque  
*veloces*, ad quamlibet rem impatientes, cum vix non  
ad res leuissimas, immo tanto magis arduas, plus mi-  
nus, perpetuo tamen sic satis intense, exagitantur  
atque irascantur, fere quotidie vehementia pathe-  
mata, spastica, conuulsiva, arthritica, hæmorrhagias, fe-  
bres, cæt. experiri deberent; qui tamen *omnes tales A-  
nimi concitationes*, & per easdem corporis exagitationes, non  
solum *tolerabiliter ferunt*, sed integra insuper atque *illibata*  
*Sanitate fruuntur*, nihilque omnino peius exinde habent.  
Sunt equidem *Cholerici*, vt in moralibus, ita re vera etiam



perpetuo in vitalibus, *proclives* admodum ad omne genus *vehementissimorum*, *impetuosissimorum* motuum suscipiendum ac perpetrandum, & in actiuas admodum commotiones, morbos modo *acutos* & *conuulsuos*, perquam præcipientes, modo *chronicos*, *valde anomalos*, *vagos*, *inconstantes*, *vagas translationes*, affectus *dolorosos*, *torminosos*, *singultuosos*, dolores *lancinantes*, (pro genio atque indole morborum, caussarumque prægressarum,) deliria *iracunda ac violenta*, *sanguinis profusiones* impetuosas, cæt; familiariter incurrendum, proni : interim hi ipsi tamen, nisi *intemperantiæ* ac *luxui* immoderato sese temere mancipient, vix vnum plurimorum aliorum incommodorum ac circa Sanitatem turbationum, sterili ; nisi, inquam, in his *caussæ* numero *plures* in vnum aliquem noxium *affectum*, magis directe peragendum, aut producendum, veluti conspirauerint, vix quidquam aduersi circa statum corporis integerrimum ex sola *iracundia*, tanquam *leuiori solum ordinariæ ac maxime consuetæ ipsorum actiuitatis intensiōe*, experientur : licet multo sensibilius ad iracundas passiones inter *Cholericos* sese habeant de *Sanguineo* temperamento plus minus participant.

Thef. XXXII.

Venio ad *Melancholicos*, non *iracundos illos* quidem ordinariæ, tanto minus *impetuose* irasci solitos, *sed*, vt in omnibus suis actibus, sic fere ad *Iram* quoque, satis *tardos*, omnia cum iusta deliberatione, pensitatione, circumspeditione, iusto tenore, iusto gradu, assiduitate, constantia, adeoque sic satis *longo tempore*, immo sic satis *tarde*, ac *successiue*, suscipientes ac perpetrantes : hi, licet ordinariæ in iusta aliqua, œconomix corporis ipsorum quam maxime adæquata & conueniente motuum proportionem persistentes ac perseverantes, ad quoslibet impetus, tam physico, quam morali respectu, *minime proni ac dispositi*, si tamen *nimum vexentur atque irritentur*, intense tunc quidem, minime vero *impetuose*, irascuntur, (& ob id ex iracundis pathematibus non æ-

quo



*que facile alia incommoda notabiliter experiuntur, præsertim cum in statu quam maxime secundum naturam motibus satis validis ac laboriosis intenti atque adsuæti, agiles, constantes, attenti, assidui, non admodum sensibiles, commotiones atque alterationes tales veementiores, sed sic satis tamen adhuc moderatas, facile contemnant ac perferant: )* interim, si aliquando recte euigilent, (vt aiunt,) Melancholici, vti tunc fere (tum in moralibus, tum vitalibus,) immoderati sunt, ac valde pertinaces; ita circa *Iram* imprimis, præsertim non tempestive atque opportune compositam, id est, non satiatam talem, pertinacissimi sunt, furiosi, nec finem fere faciunt sœviendi, vel in externa obiecta, vel in proprium corpus; vnde re vera, quemadmodum in moralibus *Iram* (suppressam) in longinquam simultatem atque odium vertunt, sic in vitalibus ex hoc capite in morbos similiter longinquos, tabidos, hæcticos, plerumque incurabiles, Melancholiam, palpitationes cordis, febres lentas & hæcticas, cæt. propendent; adeo quidem, vt tunc demum vere in ipsos quadrare videatur, illud dictærium, quod ipsis liuor cor absumat. cæt.

Thef. XXXIII.

Denique si quisquam alius circa *Iracundiam*, certe Phlegmatici fere securissimi sunt, qui neque ad illam æque commouentur, siue permouentur, neque facile exinde morbo quodam affectu afficiuntur atque percelluntur, vtpote a natura, vt in vitalibus, ita tanto magis in moralibus, fastidiosi, segnes, tardi, stupidi, languidi, somnolenti ad oblatum aliquem laborem, ac circa eundem exsequendum non pensitabundi, sed (ne quid agendum ipsis obiiciatur,) curas omnes ac sollicitudines facile ex animo abiicientes, laboris pertæsi, exercitii negligentes, cæt.: Vnde etiam ab *Iracundia* imprimis nihil magnopere sese affici sinunt; occupati autem ac perculsi tali pathemate, abiecti sunt, ac pusillanimes in moralibus, in vitalibus, metu longi laboris atque operæ, citius desperabundi omnes motus dimittunt, aut nimium quantum remittunt, ad *lipothymias* vsque cæt.



Ceterum totum fere momentum considerationis circa Subiecta non tam ad *Iram* procliuia, (quæ hætenus breuiter examinasse, nobis satis est,) quam ab *eadem* *affici*, perturbari, alterari solita, circa *affectus* item, ex eadem, vel propter eandem, tamquam non emanenter, familiariter *euenientes*, eo imprimis recidit, quod *Ira* *omnis generis affectus*, ad quos aliquod Subiectum prædispositum, vel (& hoc quidem imprimis atque eminenter, v.g. a natiuitate,) *specialius*, vel *remotius* (a generali quadam alacritate ac promptitudine ad motus vehementes subeundum atque exsequendum; et naturali quodam motuum languore, (idiopathicos vocant morbos,) ad noxiam materiam, affectui alicui producendo aptam, generandum dispositione, cæt.) *moueat*, *promoueat*, ac *prouocet*. Et hæc vera est vnica illa, cui fidere liceat, *regula*, qua reperire non valeam, quæ sit certior, ad determinandum *tempus euenientium ex Ira lesionum ac incommodorum* quorumvis. Licet enim hætenus dicta rationem non solum, sed & experientiam consentientem habeant, opus tamen est illa perquam necessaria distinctione *propioris* vel *remotioris* ad quoscunque *morbos dispositionis*; dum vtique non omnis Sanguineus, *Ira* affectus, Podagram, Gonagram, incurrit, nec omnis Cholericus furorem, non omnis Melancholicus maniam ac delirium, non omnis plethoricus hæmorrhagias tunc certo experitur, quando irascitur, quantumcunque intensissime, sed magis ad hos vel alios affectus dispositus, tum Melancholicus, tum Cholericus, tum Sanguineus cæt.

De *Ira Historia*, *charactere* & *indole* dixi tum de *Energia ad morbos producendum*, *generaliter*, sine respectu ad corporis siue habitum & constitutionem, siue temperamenta; tum *specialius* de correlatione quasi mutua temperamen-



ramentorum (tam animi, quam corporis,) ad Iram, & habitum vicissim reciprorum Iræ ad corporis constitutionem, & animi indolem, & pro utrorumque conditione relationem ad varios morbos producendum, (idque, ut dixi, specialius.) Proximum est, ut ad *morbos, ex Ira* re vera & vere *orientium*, adeoque *medicam considerationem non exiguam ad se vocantium* (cum qui tali constitutioni extraordinariæ superuenire vel non possunt, vel non solent, Medicum nihil omnino occupare debeant,) *modum fiendi specialissime* veniam, rationem, inquam, *Energie Iræ* varios morbos, *quemlibet unum sigillatim*, non materialiter, sed formaliter, *producendi* cauſſandique, explicem.

Thef. XXXVI.

Dixi, (1.) pathema hoc per *motuum* illorum præcipuorum ac primariorum vitalium, *tonici* nimirum, ac *pulsorii*, solito maiorem *intensionem* & concitationem imprimis efficax esse, *Energiam*, inquam, Iræ, magis simpliciter, & sine ordine ad alios, longinquiores, consequentes effectus atque euentus, præsertim morbosos tales, atque a statu sano plus minus aberrantes, siue recedentes, in *motuum* horum quasi sociorum communi quodam *augmento* consistere & contineri, ita, ut non emanenter (ut aiunt,) *propter talem animi alterationem*, ac circa motus vitales (magis ut a priori, velut in abstracto) euenientem concitationem, *hæc ipsa momentanea incitatio* (tanquam in concreto,) *accidat*: Dixi (2) *utrumque hunc* imprimis *motum* tum *Sanitati tuendæ, conservandæ, præservandæ, restituendæ, inservire*, tum *utrumque hunc morbosorum quoque effectuum atque euentuum, formaliter, maximam partem fouere, vel præstare*: Subinui (3) *Iram* mediatis tantum, *subalternis, respectivis, immo instrumentalibus, actibus, siue effectibus, immo euentibus* (eiusdem nimirum *toni* huius *pulsusque varia, veluti motitatione seu modificatione,*)



*atione,)* *conspirare*: Vbi multum quidem, sed tamen vere, dixerō, vtrumque hunc motum ad morbosos euentus formaliter primario concurrere: sed plus dico, ad rem præsentem, tanquam testimonium quoddam, exemplum ac specimen applicata regula, & applicanda, *Omnes nimirum morbos, propter Iram orientes, circa motus hos, pulsorium ac tonicum, fere vnice versari ac perpetrari*; immo non tam *morbosos* solum, quam quoscunque *salutares*, effectus, Iram sequentes ac comitantes, ab his motibus siue institui, dirigi, absolui, siue perpetuo ad eosdem respicere, immo quammaxime referri merere, ac postulare,

Thef. XXXVII.

Immo cum *pulsus*, seu *pulsorii motus* vnicum *Subiectum*, immediate, sint *Humores*, Massa Sanguinea dicta, ex Sanguinis stricte dicti, Lymphæ, Bilis, Seri, cæt. colluie constans, cum, inquam, circa hos Humores pulsus vnice versetur, hos indefinenter agitet ac moueat; *tonus* autem *partes solidas* molliores, sine ordine ad duriores, ossa nimirum, sibi *subiectas habeat*, has moveat, dirigat, actuet, [prout ex physiologicis constat;] adeoque horum duorum motuum velut imperio ac gubernaculo tota œconomia corporea fere vnice, ad minimum admodum eminenter ac præcipue, pareat, *corporis integritas horum motuum* veluti *dominium* primarium *sequatur*, aut agnoscat: eo fit, vt tamquam *canone* quodam ac *norma* certissima conuincar ac indubium plane, perpetuumque agnoscam illud, [vt a priori magis exinde, ita tanto certius & plenius ex ipso affectuum censu, *Iram*, auctorum medicorum vnanimi consensu ac testimonio, fere perpetuo sequentium,] *sub Ira, propter Iram*, ipsis illis iracundis motibus, (*iracundis*, inquam, tanquam in concreto, siue actu, vt Philosophi aiunt, exercito, ob extraordinarium sui augmentum, agnoscendis, interim *ordinariis, vitalibus*, nihil novis quibusdam, specie, vt sæpius dixi,) *totum corpus,*



*pas, fluidas, inquam, pariter ac solidas corporis partes, (omnes, inquam, in genere, intuitu temporis incipiendi, desinendi, licet non æque perpetuo ratione gradus,) affici, commoueri, agitari, alterari.*

Thef. XXXVIII.

Cum autem iam sæpius vnus vel alterius *affectus, Iræ succedere*, vel sociari soliti, antea passim mentionem iniecerim, & iam modo postremo in illos ipsos digitum intenderim, *præcipuos tales affectus*, quos auctores hinc inde nominant, Iræ comites, aut pedissequos, hic recensere, ac postea vltius examinare, non abs re erit. Sunt autem hi imprimis *Melancholiæ, deliria, furores, conuulsiones, epilepsiæ, palpitationes cordis, angina, nephritides, pedagra, gonagra, chiragra, profusiones sanguinis, cholera, ieteri, febres, nunc ardentes præcipientes, nunc lentæ heclicæ, tremores, vomitus, nausæ, cardialgiæ, tormina, abortus, languores diurni, paralyses, contracturæ, & (magis neutro modo sese habentia) vulnera, iratis inflicta, & ab iratis impressa, maligna admodum, denique (maxime vniuersalis) mors repentina*: & ne sicco plane pede transeamus *effectus atque euentus* quandoque *commodos ac salutare*s, iram secutos, horum quoque nominant passim auctores, *solutionem* imprimis *paralyseos diurnæ, loquelæ amissæ restitutionem*, & paucos præterea alios. (Conf. Hildan. Cent. VI. obs. 66. Eiusd. Epist. 44. it. Cent. III. obs. 56. exempl. 4. Eiusd. Epist. 1. Eiusd. de valet. tuend. Cent. I. obs. 17. & 18. Scultet. obs. 96. Camerar. Syll. mem. Cent. 10. partit. 15. Platter. obs. lib. 1. & 2. Galen. lib. 5. aph. comm. 45. 53. Valteriol. lib. 2. obs. 4. Paracels. Chir. magn. p. 4. extr. p. 477. med. p. 542. med. Zacut. Lusit. prax. adm. lib. 3. obs. 88. Panarol. obs. med. pent. 2. obs. 42. Schenk. obs. rar. passim. Dolæus de Mania. Wellich. obs. med. epilogm. obs. 35. Forest. obs. chir. lib. 6. obs. 34. Corn. Cels. lib. 5. cap. 27. Etmull. diss. de mors. viper. Timæus à Guldenslee lib.



2. c. 16. p. 104. Consil. med. Eiusd. Resp. med. 36. p. 96. Aët. Haffn. Vol. I. obs. 71. Meibom. diss. de Cardialg. Eiusd. diss. de Concoct. ventric. læs. Celeberr. D. D. Wedelii diss. de Spasm. cæt. cæt.)

Thef. XXXIX.

Hos igitur affectus, nomine & specie tam varios ac diuerfos, genere tamen ad *duplicem* solum hunc *ordinem* redigendos, immo veluti sponte sua abeuntes, sub dictorum motuum auspiciis ac vexillis quasi stare, (paucissimis solum exceptis,) hos perpetuo respicere, hoc vnice sequi, adstruo. Certe enim hic nihil aliud, modo id ipsum debite decenterque, agendo, quam ipsos *Naturæ sub pathemate iracundo motus*, motuum successus atque ordines, *sibi ob oculos ponendo*, & ad animum reuocando, immo eorundem vestigia legendo, illum modo dictum (Thef. XXXVII.) canonem non solum verum ac sincerum cognoscere atque agnoscere facile erit, atque in expedito positum, sed & intellectum dare.

Thef. XL.

Dixi nimirum, (vt in omnibus sic dictis Animi pathematibus, seu gratis acceptisque, siue aduersis ac tristibus, in aliis quidem radios quasi influentiæ suæ ad exteriora Naturam mittere, in aliis contra ad interiora retrahere ac reuocare, certum est.) *sub iracundia*, (vti leuiori tali, aut incipiente demum, orgasmus solum Sanguinis euenire euidentis est; inualecente eadem) *strictura interiorum*, *pulsu celeriori ac fortiori*, Humores *ab interioribus extrorsum* propelli copiosius, *vi* quadam comprimi & cogi, tamquam ad rem ingratam, ac toto genere aduersam, insequendam, noxiam auertendam atque auerruncandam, veluti præsentem eliminandam, & quasi corpori ipsi iam inhaerentem excutendam, extorquendam, eluctandam, immo *partes* ipsas membraque *tali impulsu*, re vera satis communiter *valido*, *roborari ac suffulciri*, *tonum partium* eo ipso *augeri*, tamquam  
ad



vim seu repellendam imminentem, aut imminere fictam, siue inferendam; inde fieri subinnui, vt *partes* carnosæ ac musculosæ imprimis, admodum sensibilibiter *incalescant*, satis euidenter *turgeant*, *inflatae* ac *rubicundæ* euadant, *vasa* admodum *conspicua*, *plena*, *turgida*, *prominentia* fiant, *habitus* corporis admodum *oppleatur*, sensibilibiter *distendatur* a nimio Humorum infarctu, vigente & urgente imprimis, vt dixi, interea pulsorio Humorum motu admodum eminenter; (in aliis *aspectus* magis *pallidus compressusque* exsistat, *pulsu* interea nullo minus *citato* ac *forti*, *palpitatorio*, leuioris solum exandescentiæ, humorum exagitationis, exundationis *pallore* indice, vel *constricti* insuper *habitus*;) & hæc omnia quidem externorum sensuum testimonio euidenti.

Thef. XLI.

*Euidenti* dico: quibus enim mediatis ac ministris actibus, siue instrumentis hi modo dicti effectus euentusque vel perpetrentur, vel adiuuentur ac facilitentur, & an omnino tales simul concurrant, nemo utique plebeius facile cogitat. Interim vt *tonum* ac debitam tensionem partium solidarum molliorum, tamquam vnicum fere, aut ad minimum primarium ac summe necessarium subordinatorum ac subalternorum instrumentum, *progressum* hunc, immo ad *eo impulsu* quoque Humorum, adiuuare, facilitare, moderari, ex physiologicis abunde notum est; ita pulsu tamen atque impulsu Humorum vndique simpliciter atque uniformiter perpetuo celebrari solito, ac debito, ad quamcunque *singularem* corporis *partem* Sanguinem *propelli* copiosius, *restrictiue* abundantius admitti, sine eodem tonici moderaminis instrumentali actu, in statu vere secundum naturam ac sano, fere *impossibile* esse, (nisi forte v. g. obstructions satis grandes in statu corporis præter naturam eundem a partis alicuius aditu præcludant,) eadem veritate non solum, sed & euidentia nititur.



Jam ut harum rerum ac circumstantiarum non solum, sed re vera multo plurium, mox nominandorum, argumentorum nomine atque intuitu, non potero plane, quin *constrictionem* quamdam tonico spasticam in contraria, opposita, inquam, regione, *circa interiora* nimirum, eamque *gradui exandescentiæ iracundiæ plane congenerem, adequatam, proportionatam ac sociam*, (ita, ut, quo maior sit impetus iræ, tanto magis constrictionis huius circa interiora vrgentis momentanea ac repentina non solum iuvasio, sed & vehementior, pertinacior, validior detentio,) vigere atque obtinere non solum protinus agnoscam, sed id ipsum quoque pluribus stabilitum ac confirmatum ire nullus dubitem; Ita si eo ipso cuiusdam forte sententiam, quantumcunque contrariam, vel aliam, non probauero, inscius profecto, immo inuitus, aut si cui contra mea quoque non placuerit assertio, meminerit quæso, immo certo utique sciat, me quidem, *qui hoc ipsum directe negauerit*, immo cui *contrarium* quiddam, aut *melius* forte, in mentem venerit, nisi qui multifarias *bilis regurgitationes, exundationes, incensiones, arroffiones, immo combustiones*, & innumeras atque indefinitas alias *a felle profectas læsiones*, inculpauerit, crepauerit, accusauerit, scire profecto neminem; immo certum persuasumque habeat, specimen hoc meum esse non singularis cuiusdam eruditioni, cuius mihi ne tantillum quidem arrogo, ostendendi, tanto minus autem ostentandi, immo adhuc tanto minus *Medicorum ac Physicorum quorumcunque auctoritati placitisque* (directe, vel oblique) *contraeundi*, sed rei, non minimam considerationem medicam ad se vocantis ac postulantis, forte *ad proprium præcipue commodum* attentius *considerandi*, & quantum poterat distincte *perspectam exhibendi* causa, nomine atque intuitu, susceptum institutumque.



Quando igitur *interioribus strictis constrictisque*, ac velut a copiosa liberaque Humorum irruptione, violenta distensione atque infarctu *præmunitis partibus*, iisque ex omni parte sensibilibus, naturaliter, tenerioribus, mollioribus, laxioribus, nullo æque resistendi spectabili vigore ac robore instructis, visceribus imprimis abdominis, ventriculo, intestinis, liene, hepate, quin partibus cordi magis propinquis ac vicinis, musculosis interioribus (thoracis, inquam; quamvis his quidem non æque eminenter ac sensibilibus;) his, inquam, ita fientibus, pulsu licet vndique vniformi, *Sanguis* tamen magis *dirigitur, restringitur, congeritur, appellitur*, immo simpliciter quoque admittitur, idque copiosius, admodum eminenter, *ad oppositas partes*, easque *laxiores*, tono seu tensione *mitiore præditis*, magis *patulas* patentisque, eoque plus Sanguinis *admittentes* ac *recipientes*; quibus proinde ita succedentibus ac fientibus, plane mechanico-organice, exterior *corporis habitus*, vehementer non modo, sed & copiosius omnino, eo impulso Sanguine, *opletur*, id est, plenus, turgidus, floridus, rubicundus, inflatus, calidus fit; immo *roboratur* eo ipso, augetur, inquam, aut suffulcitur quasi, partium (membrorum, brachiorum imprimis, exemplo,) externarum *tonus*, sensibilibus hætenus magis *remissus mitisque*; suffulcitur, inquam, tonus, ad tanto maiorem nisum atque impetum perpetrandum atque inferendum, ad quod imprimis irati perpetuo respectant ac tendunt; vnde videas, iratis gestire pugnos ad agendum, trahendum, lacerandum, verberandum, conuellendum, diripiendum, cædendum, pungendum, male tractandum, vim inferendum, & inter obstantes resistendum, extorquendum, reluctandum, immo eluctandum: quæ quidem omnia tanto certius, immo tanto eminentius, eueniunt *iratis mox valde rubenti-*



*bus* & calentibus, id est, qui intensius ac præcipitanti-  
 irascuntur, qui *interioribus* tanto *celerius* ac *vehementius*  
*constrictis*, habitum corporis mox tanto magis impletum,  
 plenum, turgidum habent, calent, rubent, præ illis, qui  
 minus rubent irati; id est, minus vegete, intense, im-  
 petuose irascentibus & excandescantibus, timidis magis,  
 meticulosis, imbellibus, inter Iram metumque penden-  
 tibus, Iram reprimantibus, *pallidis facie, constrictisque*; nisi  
 si *victo fractoque* velut *Ira metu*, in plenam quasi flam-  
 mam feruor tandem erumpat.

Thef. XLIV.

Vt autem interiorem illam strictionem & constricti-  
 onem gradui, vel vehementiæ, vel remissionis iracundi-  
 æstus plane analogam, correlatam quasi, congenerem,  
 proportionatam, adæquatam & æquatam agnosco, im-  
 mo omnes agnoscere, exemplo vel experimento forte  
 doctos, credo; ita quidem, ut, quo major vehementia,  
 maior impetus, impulsus ac præcipitantia inuasionis ex-  
 sistat Iræ, tanto maiori gradu ac vehementia non modo,  
 sed & velocia, quasi momentanea eidem constrictio par-  
 tium internarum respondeat atque accedat, & contra: sic  
 oppletionem illam, fulcimentum quasi ac robur exter-  
 narum quoque partium internæ illi strictioni adeo indi-  
 vidue sociam, vel indiuulse potius comitem, deprehen-  
 dere fas est, ut vix debite, id est, satis intense, irasci  
 quisquam concipi possit, quin tale momentaneum quo-  
 que robur ac fulcimentum accedat, aut superueniat, im-  
 mo hoc minime existat, nisi restrictorio quodam, extror-  
 sum tendente, impulsu prouocatum.

Thef. XLV.

De strictione, circa interiora urgente ac vigente, mox  
 pluribus. *De robore autem ac fulcimento, quod dico, toni* (stre-  
 nuo ac vegero impulsu humorum nitentene magis, an ni-  
 ti supposito, dubitant,) *obiectiones* contra me quasdam  
 audi-



audire mihi videor. Dicerent nimirum, (1) quod, si vel maxime verum esset, partes ab impulso Sanguine ita roborari, suffertasque fulciri posse, ita velut animari, actuari, impelli, compellique, ad violenter aut fortiter agendum quasi disponi atque instrui, hæc tamen *impulsio* neque *momentanea*, aut, si momentanea quidem, minime tamen *simultanea*, exsistere possit, non possit fieri, ut ut a momentaneo aliquo impulsu statim momentanea operatio, distensio, roboratio ac fulcimentum sequatur partium, in quas talis impetus dirigatur tendatque, cum omnes motus in vniuersa natura, tanto magis in microcosmo, certis gradibus, certis proportionibus non solum, sed præcipue iustis, debitis ac legitimis successibus, impulsibus, gaudeant, fiant, instruantur, applicentur, eoque tempus absolute supponant proportionatum: Vnde cum (2) irati velut in momento, eo ipso momento ac puncto temporis, quo irasci incipiant, velut a priori solum, in abstracto quasi, tanto magis, quando præcipitanter, ac vehèmenter simul, exacerbentur atque excandescent animo, statim sint valde robusti, immo iam in concreto vehementes, violentos, impetuosos, effrænatos ferocesque motus exercent, percutiendo, verberando, proculcando, cæt., eo *possibile non sit, ut illud iratorum robur ac vigor nudo quodam impulsu ac suffarctu Sanguinis nitatur*; Immo (3) *tonicam* quamdam, dicerent, intensiuam *spasticam* membrorum *tensionem* conspicuum illud, quo irati vix non perpetuo (plus minus, ) gaudent, robur, constituere ac perpetrare; cum (4) si debito tono partes destituantur, plus minus, pro gradu ipsius remissionis, flaccidæ atque imbelles pendeant; illo intenso, tanto magis roborentur; immo (5) denique, cum impossibile prope modum existat, ut tono remisso, & Sanguinis irruptioni libero com meatu atque aditu concesso, spasmi, quos valde irati non raro patiantur, superueniant; irrefragabili, ipsorum



rūm sensu, testimonio, robur illud iratorum nihil aliud esse, quam tonicam intensiōem, leui insuper exacerbatione accedente & urgente, in spasmos procliuem ac propendentem.  
Thes. XLVI.

At si vel maxime illud illis concederem, (1) sub *primo insultu*, inuasiōe & impetu Iræ, primo *in actum atque executionum transitu*, vagam talem, præcipitem, *vibratiuam* solum, *toni partium intensiōem* atque incitationem subsultare, partes, (externas imprimis,) simul & semel ita percellentem & commouentem, ad agendum, ac mouendum velut inuitantem aut incitantem; minime tamen, si quisquam, sub *reliquo Iræ successu* atque euentu, tonum adhuc dum vigere, præpulsorio motu intensum tensumque, idque ordinarie magis, aut nimium quantum sæpissime, (ita in genere,) dicat, concedendum aut tolerandum illud est; cum tonica illa contractio ac strictura partium (tanto magis acrior talis,) Sanguinis in partes neque (necessarium, nedum copiosiore,) impulsus, neque ob id earumdem inflationem ac turgescētiā, neque ruborem, neque calorem, neque (mea deductione,) roborationem, secum ferat, nedum toleret, ordinarios Iræ comites, aut pedissequos. Deinde vero (2) minime omnium nudum tonum, tensionem, rigidam intensiōem, tanto minus validam talem, gradu admodum eminentem & conspicuam, immo tanto minus actua-lem *spasmus*, tanquam tonici rigoris summe euidentem gradum, *robur ita nude conciliare* partibus tensis strictisque (singularibus fibris musculorum, nemo est, quin agnoscat & annuat,) tanto minus *esse ipsum harum partium robur*, quisquam omnino est, qui consentiat; euidentissimo imprimis exemplo illo, in contrariam abeundi sententiam præmonstrante viam, dum nimirum, vt sæpius dixi, Melancholici, imprimis eminenter tales, & hi quidem irascentes quoque, *pallentes constrictique*, eoque toni satis notabilem gradum præ se ferentes ac referentes, *non præpollent v-  
tique*



*tique partium robore* ac firmitate, dico ad agendum fortiter, impetuose ac vehementer, sed ipsa vulgi agnitione & confessione *imbelles ac debiles*, præ *Ira tremere* solum, (*tremor* autem nihil aliud est, quam *dubia* quasi, *titubans* atque *anceps toni agitatio ac motitatio*, minime rigida, aut æqualis solum, constans, fixaque eius intensio,) deprehenduntur; immo tanto magis conspicuo, euidente notoque illo paradigmate ac specimine idem illud confirmante ac testante, *paroxysmo*, inquam, *frigoris* (præter externum quodlibet) imprimis *febrilis*, ubi nimirum *peripheria corporis tonicâ* quadam *contractione ac rigida tensione*, magis magisque, & tandem maxime, *stricta*, Sanguine ad interiora, ad pallorem, rigorem vsque, compulso, sane *nullum fortiter agendi tentandique gestum*, sed re vera ad mouendum admodum notabilem *impotentiam*, repereris, quotidianis propemodum exemplis; immo remissa hac strictura, tanto magis insolitus atque insignis succedit *languor*; contra Humoribus magis magisque ad exteriora iterum ablegatis admissisque, ad *vigorem ac tenorem* partes magis magisque redeunt; irrefragabili, si villo alio, exemplo ac documento, quantum ad sustentandum ac fulciendum membrorum tonum faciat Humoribus vegetus & copiosus impulsus. Immo (3) accedit illa, minime re vera obscura, sed distincta satis, *sensatio*, quæ meæ assertioni quoque quam maxime velificatur, *palpitatio* illa, strictioribus imprimis corporibus, melancholicis, eueniens, sub iræ impetu *contentiosa transpressio* humorum in partes quadantenus, immo quandoque satis notabiliter, strictas, micatione, sensu palpitatorio, pulsatili, vibratiuo, vt in *brachiis & artubus*, sic in *dorso, iumbis, coxis* imprimis, sese exserens, valde iracundis contra, impetuosius, audacibus, impedimentorum impatientibus, Cholericis, Cholerico-Sanguineis, Sanguineo-Melancholicis, longe minori gradu tum vehementia, tum durationis eueniens. cæt. Cæterum, quam promte illud, quoque calculum suum adiiciat Phænomenon saluandæ assertioni sæpius nominatæ, vel



plebeiiorum experimento notum, quod, dum totis viribus *haustus detineatur spiritus, compressis interioribus*, mox sequatur *regurgitatio Humorū ad exteriora*, partium *inflatio, rubor, calor, vis ac robur ad operas fortiter peragendum, trahendum*, premendum; quam contra nihil faciat aut valeat interpretatio illa ac limitatio, quod *vnus motus alteri ita possit subordinatus esse, tonicus, inquam, pulsorio*, vt ille, sub initio Iræ valde tensus, huic postea inualefcenti cedat locumque faciat, varia ac vaga sui motitatione, seu modificatione, cæt.; quam omnino nihil hic sermone digna sit illa veterum assertio, (*debilem esse partem*, eoque tonum remissum, vbi Humores ita copiose irruant aut irrumpant; nihil enim hic nudo illapsu, aut irruptione, sed destinato impulsu, peragitur,) vtpote *minime huc pertinens*, aut pertingens; quam denique momentaneus quasi a magna toni flacciditate ad summam fere exacerbationem, *spasmus*, & contra celerimus a tali incitatione & concitatione ad summum *languorem* receptus, longum hic vtique est, vel allegare, vel applicare atque explicare.

Thef. XLVII.

Quando igitur (vt remotis ac discussis tenebris, in profundum tot numero ac specie affectuum, iram stipato velut agmine sequentium, despicere, oculos impredientibus, tandem tractationi nostræ vltimam manum imponamus, (*interioribus corporis, imprimis, & hoc quidem eminenter, abdominis, partibus, visceribus teuerioribus, stric-  
tis*, tum tota sua corporali mole, Ventriculo, intestinis, tum *constrictorio solum, tractorio, irritatorio sensu perculsis  
neruorum*, ad nobilissima illa viscera, renes, hepar, lienem (nullo peculiari elatere gaudentia,) abeuntium, (sicut non tam viscerum horum totam substantiam, quam imprimis *vasorum complexum ac nexum* affici ac pati, analogum quoddam exemplum præternaturalis, non raro euenientis, *vaso-  
rum mesaraicorum spastica*, singultuosæ nonnumquam, im-  
mo suffocatiuæ, præsertim in feminino sexu, *contractionis*  
atque



atque exacerbationis testatum abunde facit; ) strictis, inquam, idque omnino *prævalide* atque *intense*, quando Sanguis tunc ita *vehementer ad exteriora compellitur*, duplex deinde ac duplicata omnino noxa, aut ad minimum iusta periclitatio, imminet, quin inualefcit; dum nimirum circa interiora, propter nimiam tum constrictionem, tum præcipue exinanitionem ac depauperationem, ut aliæ viscerum nobiliorum alterationes ac perturbationes, ita non rato profecto exemplo reliquorum vehementes *spasticæ*, immo *convulsivæ* superueniunt motitationes, exteriora interea nimix oppletioni, congestioni, distensionem, pertinaci Humorum compulsionem eluctatoriæ, & ob illam ipsam *spasmi* pariter, immo *convulsionibus*, *hæmorrhagiis* impetuosiss &c., obnoxia atque exposita, laborant.

Thef. XLVIII.

Et *spasmos* quidem (ita ancipites, immo tanto magis, in valde agilibus act uisque, convulsiones,) quod concernit, oppletis, *πληθυστάτοις*, plethoricis familiarissimos, ad Humorum; siue spissorum, siue nimiorum, tum propulsionem, tum discussionem aptos non solum, sed communiter instrui solitos, expressorios, plerisque *excretionibus promouendis accedentes*, seque sociantes, ut hi *circa exteriora* Sanguinis congestionem, detentionem, eoque Naturæ molestam circa eam sensationem atque irritationem, immo congestionis imprimis discutiendæ intentionem, ita *circa interiora* contra nimiam euacuationem atque exinanitionem, tamquam proxima quædam toni vehementis exacerbatio, ut dixi, sequuntur: Id quod scite admodum Hippocrates *spasmos vel a repletionem, vel ab inanitione fieri*, enunciauit, Sect. VI. aph. 39.; quasi nimirum diceret, ubicunque nimio infarctu Humorum partes tendantur grauenturque, ibi stricturas tales depulforias, repulforias, immo aliorum expulforias, suscipi; ubicunque vero partes nimia subtractione ac depauperatione Humorum flaccescant, ibi tanto maiore earundem tensione defectum illum iusti roboris suppleri, partesque firmari. cæt.



Denique illa imprimis Phænomena ac specimina, (indolis iracundarum commotionum, hinc inde iam memorando tactos, verissimos certissimosque gnomonas ac terminos,) non adeo ignota quidem, sed nunquam re vera satis pro merito consideranda ac pensanda vltiori disquisitioni atque attentioni iterum iterumque commendo; quanta, inquam, nonnunquam *actiuitas* ac *promptitudo* non modo, sed verius dicendo *proteruia* Naturæ, *circa irrationes tales patheticas*, quantumcunque leuiiores, sese offerat, quam *fortissimi* nonnunquam motus, quam *longinqui, pertinaces, laboriosi*, immo *periculosi* apparatus ac molimina, immo connisus, præter vllam necessitatem, immo præter vllam proportionem ad quantumcunque sensibilem aut conceptibilem læsionem, instituantur & continuentur; quam non ita raro, immo satis frequenter malitiosa talis, vehemens ac pertinax *iracundia* tristam ac miserabilem spectatu *paroxysmum epilepticum*, ad quaslibet singulasque perturbationes tales sæpe numero postea quoque recurrentem, proritauerit, *Sanguinis profusiones* prouocauerit, *abortum incitauerit*; quam pertinax tale Naturæ propositū mouendi, contendendi, finem, quantumcunque erroneum atque alienum, consequendi, magna pertinacia & contentione insistendi, quantumlibet successu intentioni peruersæ minus respondente, *longinquos, diuturnos*, immo *exitiales* in corpore *tumultus ac turbas, conatus*, inquam, *pressorios, tensorios, pertinaces, diu continuantes, arthriticos*, puta, affectus, iam *fixiores* tales, *podagricos, gonagricos, chiragricos*, iam *vagos* imprimis, intulerit caussatumque fuerit; quam iracundia Naturæ oblata, *quidquid hætenus in corpore quietum fuerit*, aut quantumcunque inutile licet, minime tamen ad vllam proportionem ita præsentanee noxium, illa circa tales res contendat, ac moliatur, in illas impetum suum, effundat ac pertinacem quamdam similitudinem conuertat,

illas



illas ita commoueat, turbet pellatque, ad expulsionem vsque; exemplo *calculi*, quin ipsius *fœtus*, immo tanto præsentius ac pertinacius ipsius *biliosi humoris*; quam denique *Natura*, vt aiunt, *non satiata*, toto corpori insigne præiudicium temere ac friuole inferat, vigentibus circa interiora *spasms*, *ventriculum* non solum in consensum, immo compassionem, trahendo, sed eundem postea quoque diu vexando, torquendo, stringendo, ad *vomituritiones*, immo *vomitones* vsque exercendo, aut diuturnam *cardialgiam*, grauitatem ac *nauseam* relinquendo, quin retinendo, immo ad quemcunque assumptum ingestumue cibum, vel potum *tormina* excitando, cæt.; ea, inquam, omnia vulgo quoque notiora sunt, quam vt in eorum nuda Historia ac relatione diu hæreere opus esse videatur. Immo illa quoque non magis incognita existunt, vt *imbelles*, quin *torpidi segnesque*, ad oblatas tales alterationes vagi atque inconstantes sint nonnumquam homines, vt citius vincantur quam, vt ita dicam, impetantur, & ad patheticas tales commotiones vel repente *Lipothymia*, animi deliquio, corripiantur, vel incompleto quodam molimine, pertinaci tamen, *palpitatorio*, inquam, *cordis* motu easdem prosequantur; vt alii, si tentauerint quidem, molitique fuerint pertinaciter resistere, sine tamen non protinus sequeute atque impetrato, vtpote in congrue plane quæsito, longinquioris laboris pertæsi, istos suos conatus, vtpote frustraneos, repente remittant non solum, sed & omnino quidquam præterea tentare fastidiant, eoque repentinos, quin diuturnos, *languores* modo, mode *paralysin*, nunc *apoplexiam*, aliquando *repentinam* omnino *mortem*, incurrant, miserumque ac pertinacem reddant spiritum. Adeo, vt vel ex hac consideratione pertinaciam partim, partim inconstantiam, partim omnino desperationem cordis humani, simulque summam Naturæ humanæ corruptionem, licentiam ac proteruiam, ad animum revocare, æstimare, immo assequi quadantenus, quia dolere, liceat.



Quæ quidem omnia hæcenus dicta, vt breuiter solum ac strictim tantum commonstrari potuerunt, late admodum patentia, interim, mea quidem conscientia, aut sententia, ad largiendum tamen rationabilem quemdam conceptum sufficiunt, aut collineant certe, atque vltiori pensitationi ac considerationi viam præmonstrant, breuissime iterum ad censum aut memoriam reuocando, tamquam in vnum quasi complexum nexumque comprehendendo ac colligendo, eo imprimis redeunt, Vt nimirum (1) Iræ imprimis indolem ac genium explicent perspectamque tradant, hanc motum solum esse (consistere in motu,) exhibeant, eumque concitatum quidem vtique, id est, naturalibus atque ordinariis motibus maiori gradu vigentem; interim tamen non morbosum, aut præternaturalem; in se spectatum, sed nonnaturalem (id est, ab homine naturaliter non emanentem,) ac salutarem, Ens rationale (seu *v̄g̃v* ac mentem veteribus,) eundem ad certum scopum instruens, supponentem: (*v̄g̃v* vero, mentem, seu intelligentiam dicunt veteres, quo ipso nimirum subinnuunt, sicut & latissime explicant, esse aliquod Ens, Animam huius vniuersi, seu Naturam in genere dictum, potentias scilicet, influentias ac virtutes primigenias illas ac primæuas, vniuersales, quas Astris, seu vniuerso stellari regimini non tam adscripserunt atque attribuerunt, quam ab eodem deriuarunt ac deduxerunt, a quibus potentiis, virtutibus ac facultatibus, non æternis, sed primævis, Natura seu Anima fluxerit humana, diuinæ particula auræ prædita, facultatibus illis subiecta, a quibus regatur, commoueatur atque alteretur, quæ Naturæ humanæ illam irascendi quoque vim ac potentiam non solum, sed actum non tam communicent, quam imprimant, naturam humanam ita afficiant; sicut imprimis Martem voluerunt ac statuerunt veteres bilem mouere, id est Iram ciere. cæt.) Dico, Agens illud in corpore humano certum finem his ipsis motibus supponere,



nere, immo intendere, ad illum contendere & collineare, rei cuiusdam vel aduersæ, vel noxiæ immo tanto magis aduersæ simul & noxiæ, remotionem, (licet reliquo horum motuum successu ab intentione illa aberret,) velut rei præsentis aduersæ non tam motus solum, quam Humores, quæ ipsi instar armorum sunt, opponendo, (eo ipso tum interioribus strictis, tum exterioribus oppletis,) eisque velut iniuriam auertendo, quin vlciscendo, (roboratis partibus, id est, tono earum aucto, suffulto, sustentato, impulsio cum vi ac vigore Sanguine, tamquam ad vim vel fortiter inferendam, vel constanter repellendam atque amoliendam.) Sicut autem Iram materialiter in toto corpore nihil alterare dixi, id est, nec materias in corpore ad morbum faciendum disponere, nec morbosas tales, actu peccantes materias ipsam corpori inferre, ita neque multum vtilitatis corpori contra promittere innuo: (nisi quod Iram frigidis ac seignibus torpidisque naturis bono esse, calidum innatum fouere atque excitare Galenus, & Cicero Iram cotem fortitudinis esse, dixerint; immo auctores quidam, Iram v. g. diu suppressas sanguineas excretiones singulari quodam vigore atque Energia revocasse aliquando, aliquando ambulandi impotentiam ademisse, loquelam amissam revocasse, cæt. testimonia perhibeant:) quin agnosco potius, etiam sine Ira hominem sanum atque incolumem, quin plurimorum morborum securum, vivere posse, sine vlla turbatione interea, immo iustâ atque æquabili proportionem seruata, motuum vitalium; dum animo ab omnibus, tanto magis iracundis, perturbationibus, quantum potest, libero, omnis generis excretiones quam maxime tranquille, moderate, constanterque succedere, eoque Sanitatem quam maxime, certissime ac diutissime vigere, eandem superuenientem Sanitatem quam maxime dubiam (præsertim in sensibilibus,) reddere, statui corporis iam turbato accedentem dubios immo periculosos eventus non minari magis, quam inferre, morbosos denique effectus (idiopathicos imprimis,) tum frequen



quenter affricare, tum efficacissime fouere, & ipse iam deduxi, & omnia quoque practicorum testimonia confirmant. Hæc, inquam, omnia hætenus iusta serie explicavi atque illustravi. Plurima alia, fateor, de Ira dicenda restarent, & restant, tum Physiologiæ, tum Pathologiæ medicæ eximiam profecto lucem atque commodum foeneratura, quis modus fiendi, inuadendi, in corpus humanum quasi ingrediendi; quæ relatio & proportio causæ ad Iram ciendum siue inferendum, quis habitus externorum obiectorum ad Iram causandum, quis nexus indolis ac proportionis talium externarum rerum, & æstimationis earum Naturæ; quæ tum formalis, tum materialis Iræ causa, tam in genere, quam in specie, cæt. quarum quidem rerum pensitationes ac speculationes huic meæ deductioni imprimis ansam atq; occasionem præbuerunt, Virosque doctissimos, tum Physicos, tum Physiologos, iam a plurimis annis frustra multum exercuerunt; sed cum ista omnia latissime profecto pateant, & longe aliam, ac prolixam omnino, deductionem ac demonstrationem siue supponant, siue postulent, spatio hac vice exclusos, in generalioribus solum hæerere iisque contentos esse, reliqua autem vltiori occasione referuare aut commendare, oportuit. Cum interim (omissis reliquis omnibus,) ab antiquissimis temporibus Medici reciprocum quemdam habitum, mutuum respectum effectumque agnouerint inter Iram ac bilem, ita, vt Iracundiam vel a bile oriri, bilem fouere aut producere Iram, vel ad minimum bilem ab Ira commoueri, atque ad varios heteroclitos motus effectusque disponi, crediderint ac contenderint, idque magis a posteriori, dum nimirum iracundos, magis biliosos, & hos magis magis iracundos, ad Iram procliuēs pronosque esse (Galen. lib. 6. de san. tuend. lib. 2. de natur. fac. lib. 10 de simpl. med. fac. cæt.) sibi visi sunt deprehendisse, immo bilem sub Ira ordinarie excerni atque effundi obseruarunt; proinde hanc sententiam, an illam probare velint integram, vel ex parte solum laudare, vel damnare totam, eruditorum iudicio ac disquisitioni commendo.